MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80846-6

AUTHOR:

PROTT, JOHANN

TITLE:

FASTI GRAECORUM
SACRI

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1893

Master Negative #

92-80846-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Prott, Hans von 1869-
Fasti Graecorum sacri
Bonn 1893 pt 1

Dissertation

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-1-92 INITIALS WJE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

FASTI GRAECORUM SACRI.

PARS PRIOR.

DISSERTATIO PHILOLOGA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

AMPLISSIMO IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA
RHENANA PHILOSOPHORUM ORDINI

TRADITAM UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE X MENSIS AUGUSTI ANNI MDCCCXCIII HORA XI

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

IOANNES DE PROTT, 1869-

HANNOVERANUS.

ADVERSARII ERUNT:

AEMILIUS SADÉE, DR. PHIL.
ARTHURUS KOERNICKE, DR. PHIL.
CAROLUS LOHMANN, DR. PHIL.

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEUBNERI.

MDCCCXCIII.

Ab amplissimo philosophorum ordine benigne mihi concessum est, ut totius commentationis, quae postea edetur, hanc particulam proponerem.

Fasti Graecorum sacri, quorum reliquias colligendas, edendas tractandas suscepi, sive *νόμοι πάτριοι* sive *ψηφίσματα* sunt postea illis addita, legum sacrarum partem efficiunt. Nimirum suis quaeque sacra diebus rite fieri non minus sacerdotum quam populi universi intererat.[1]) Quo autem religiosior quaeque erat urbs, eo accuratius cultus legibus obtemperabat.[2]) Per omnes igitur civitates Graecas tales fastos, in quibus totius reipublicae munera sacra perscripta essent, publice collocatos fuisse sumendum est. Quodsi haud ita multa huius monumentorum generis adhuc inventa sunt fragmenta, casui id tribuendum est. Ac vestigia quidem eorum in aliis quoque titulis latent: velut in titulis Pergamenis[3]) *ἱεροὶ νόμοι* commemorantur, quibus nova adscribenda sint sacra, et in titulo Rhodio[4]) dies quo sacrum faciendum sit non dativo quem postulamus casu sed nominativo significatur, ut praeceptum illud rituale quasi excerptum esse ex integra sacrorum serie concludere liceat.

In litteris quantum scio unum tantum huius generis commemoratur monumentum: Solonis *κύρβεις* qui dicuntur. Quibus etiam res sacras stabilitas esse notissimum est.[5]) Plane autem eodem quo in fastis nostris modo singula totius anni sacrificia ibi recensita fuisse e Lysiana contra Nicomachum oratione perspici potest.[6]) E qua simul sacra patria quomodo paulatim additamentis aucta sint, quod etiam Myconi et Pergami factum videmus, optime cognoscimus.

I. Atticae.

1. CIA I 4. „Fragmentum opisthographum marmoris Pentelici, erutum in arce, a. 0,35. l. 0,23. cr. 0,14. Margines superior et sinister secti, fracti reliqui; quae in latere averso scripta erant, consulto videntur erasa esse" Kirchhoff. Titulus *στοιχηδὸν* exaratus est. Edidit Pittakis Eph. arch. 1112; Rhangabé Ant. hell. 2252; Lebas Attique 396. Contulit Koehler. Nonnullos locos mea causa denuo inspexit Alfredus Koerte, qui marginem sinistrum paene integrum esse testatur.

---

1) De universa hac re compares quae de Numa rege tradit Livius (I 20) 'pontificem deinde Numam Marcium, Marci filium, ex patribus legit eique sacra omnia exscripta exsignataque attribuit, quibus hostiis quibus diebus ad quae templa sacra fierent atque unde in eos sumptus pecunia erogaretur.'

2) cf. Isocr. VII 29.

3) *Inschr. von Perg.* I 246, 61 sq. 248, 3 et 60.

4) BCH II 615.

5) cf. Plut. Sol. 25; Preller Polemonis 90.

6) § 17: *ὡς χρὴ θύειν τὰς θυσίας τὰς ἐκ τῶν κύρβεων καὶ τῶν στηλῶν κατὰ τὰς συγγραφάς.* cf. § 18 sqq. Bekk. anecd. Gr. I 86, 20 sq. Porph. de abst. II 21.

A. — — λ — — — — — — — — — — —
. . (ο)ις: — — — — — — — — — — —
. (ε)ον: θάρ[γελοι? — — — — — Διὶ Μ-
ι]λιχίοι: ε[— — — — — — — νεφ-
ά](λι)α: Μετρὶ: [ἐν Ἄγρας — — — — —
. σπυριχεια — — — — — — — — —
. τοι ἔτει: δι — — — — — — — — —
. . ον: ʽόταν ʽ— — — — — — — — —
ο]ῖς: γαλαθεν[— — — — — — —Κο-
ρ]οτρόφοι: ἐμ(π)[όλει— — — — — —χο-
ῖ]ρος: ʽέροι: πα[ρὰ — — — — — — —
(ʽ)ερόινει ἐμπ[εδίοι — — — — — — —
. ρθια: χοῖρος[— — — — — —Χά-
ρ]ισιν: γαλαθε[ν — — — — — — — —
ι: Ἀρτέμιδι: Δε(μ) — — — — — — —
(Γ)αμελιο̃νος: με[νὸς — — — — — ι φθί-
νοντος: Διονύ[σοι — — — — — — —
ἔρι(φ)ος: κριτὸς: — — — — — — — —
ει: τράπεζα: ʽερ — — — — — — — —
ʽέροι: παρὰ γνε[— — — — — — — Δ-
ιὶ: ʽΕραίοι: χο[ῖρος — — — — — — —
ει: ἀρὲν κριτὸ[ς — — — — — — — τ-
ρ]άπεζα: ʽε — — — — — — — — —

B. γ(ε)
ν: δ
νοι
ν: δ
ια: α
εον: ι
ν: Διο[νύσοι?
. α: ο
οιν: ο
αι: ει
εο(ν)

A 3 ΘΑΡ Koehler et Koerte, ΘΑΡΓ Pittakis. 5 ΜΕΤΡΙ, Koehler, ΜΕΤΡΙ: Koerte. 10 ΕΜΙ lapis. 17 ΔΙΟΝΥΣ Pittakis. 18 εριθος lapis. 21 /ΙΙ Koehler, ΙΙ Koerte, qui et priorem hastam sub media Η littera versus antecedentis positam esse neque umquam aliud quidquam in lapide fuisse nisi ιι adfirmat.
B 8 /ΙΑ : Ο.

Hunc titulum priore quinti ante Chr. n. saeculi parte, quantum e litteratura iudicari potest, exaratum fastorum publicorum esse fragmentum paene certum puto, quod et arce erutus est et permulta unius diei sacrificia recensentur. Namque v. 16 sq. diei notam habemus, e qua cum viginti quattuor vel quinque vel sex litterarum singulos versus fuisse appareat, nec ante nec post v. 16 sq. alius diei nota potest intercidisse. Itaque quae servata sunt omnia ad mensis Gamelionis decadem tertiam pertinent. Paulo accuratior dierum definitio e v. 21 elici fortasse potest. Ingentis igitur magnitudinis olim titulus fuit, id quod mirum non videbitur reputanti praeter unum omnibus anni diebus publice Athenis sacra esse facta tradere scholiastam Thucydidis (II 38), isque fragmentum videtur esse eorum fastorum, qui post Persarum excisionem in arce collocati sunt.

Iam videamus singula. — A 4 intercidisse videtur nomen placentae cum numero. Iovis milichii festum publicum Diasia proximi mensis decade item tertia, die vicensimo tertio, celebratur. De nominis forma conferen-

dus est terminus Atticus (Eph. arch. 1889, 51): *ʽιερὸν: Διὸς: Μιλιχίο (Γ)ῆς: Ἀθηναίας*. — v. 5: cf. CIA I 273 f 23, 201 e 7. — v. 6: *σπυριχεια* fortasse placentae nomen. — v. 7 non cum Kirchhoffio [*ἐν ʽεκάσ*]*τοι ἔτει* sed potius [*τετάρ*]*τοι* vel [*τρί*]*τοι ἔτει* suppleverim. Opinari licet similem inter hoc sacrificium mysteriaque minora sequente mense celebrata intercedere rationem atque inter Iovis milichii sacrificium eiusdemque Diasia. — Sequitur v. 10 *Κουροτρόφος*. Quae etsi non dubito, quin Tellus sit (nam Ceres *Κουροτρόφος* inferioris videtur esse aetatis: CIA III 372. 373), nolui tamen cum Kirchhoffio restituere [*Γῆι Κουρ*]*οτρόφωι*, quoniam solum quoque cognomen in usu fuit: cf. Ar. Thesm. 295 sqq. CIA II 481, 59. Duo erant *Γῆς Κουροτρόφου* fana alterum in clivo arcis meridionali alterum in arce ipsa situm, de quo Suidas s. v. *κουροτρόφος· παιδοτρόφος. κουροτρόφος Γῆ. ταύτῃ δὲ θῦσαί φασι πρῶτον Ἐριχθόνιον ἐν ἀκροπόλει καὶ βωμὸν ἱδρύσασθαι χάριν ἀποδιδόντα τῇ Γῇ τῶν τροφείων. καταστῆσαι δὲ νόμιμον τοὺς θύοντάς τινι θεῷ ταύτῃ προθύειν.* Cf. CIA II 481, 58 sq.: (*ἔθυσαν*) . . . . *τὰ ἐξιτητήρια ἐν ἀκροπόλει τῆι τε Ἀθηνᾶι τῆι Πολιάδι καὶ τῆι Κουρ*[*οτρό*]*φωι καὶ τῆι Πανδρόσ*[*ωι*]. Distinctione igitur opus erat distinctumque reapse esse litterae, sequentes indicant, quippe quas, cum vel hostias vel placentas sacrificandas significare vix possint, loci continere definitionem perquam sit probabile.

Tres igitur habemus deos inferos agriculturae praesides, Iovem milichium, Matrem, Tellurem. Iam si anni temporis rationem habebimus ac Myconiorum sacra comparabimus, qui duo mense Lenaeone pro frugibus sacrificia alterum deorum inferorum trinitati alterum Iovi ac Telluri faciunt, his quoque Atheniensium sacris similem subesse rationem non sine probabilitate concludemus.

Qui secuntur v. 11 et 12 heros atque herois, non adscriptis nominibus[1]) fortasse tum ipsum ignotis sed locorum indiciis designantur, id quod saepissime factum videmus; cf. e. g. Poll. III 87: *ἥρως Ἀθήνησιν ὁ ἐπὶ βλαύτῃ.* (Hesych. *βλαύτη· τόπος Ἀθήνησιν.*) *ἐμ π*[*εδίοι*] supplevit Hicksius propter tituli 2 C 6 sqq. Neque enim aut *ἐμ π*[*όλει*] aut *ἐμ Π*[*ειραιεῖ*] verisimile est. — v. 13—15 audacius supplevisse mihi videtur Kirchhoffius hoc modo: *χοῖρος* [*γαλαθηνὸς ξύν? ο*]*ἶσιν γαλαθη*[*νοῖσιν τέτταρσ?*]*ι*. Nam *καὶ οἶες γαλαθηνοὶ τέτταρες* aptius videtur sermoni sacro. Equidem cum *γαλαθηνὸν* saepissime absolute dicatur, antecessisse conieci numina ideoque Gratiarum nomen restitui, quas ipsas quoque frugibus praeesse vel nomina propria comprobant. Quibuscum Diana (v. 15) dea cognatissima[2]) utrum cultus communione iuncta sit necne, incerto deae cognomine diiudicari nequit.

v. 17 sq.: Bacchi sacrificium plerique cum Lenaeis cohaerere statuunt. Quod cum aliis causis quas infra (cf. p. 13 et 19) exponam falsum esse tum ex hoc loco ne minimo quidem iure concludi posse duco, quoniam et cognomen dei[3]) incertum et hostia sollemni illi gravissimo minime apta est.[4])

1) v. 11 et 20 Kirchhoffius: *Ἥρῳ Παραγνη-*

2) cf. Robert de Gratiis Atticis (Comment. in hon. Mommseni) 147.

3) *Διονύ*[*σωι Μελπομένωι?*] Kirchhoffius.

4) Reiciendum igitur quod v. 16 supplementum proposuit Adolfus Schmidt chronol. Graec. 288 [*ἐνάτηι φθί*]*νοντος*.

Gravior oritur quaestio de v. 21. Ubi cum teste Koertio ΙΙ:ΗΕΡΑΙΟΙ: esse in lapide certum sit, quin *Διὶ Ἑραίοι* supplendum sit, dubitari vix potest. Iam paene ultro se praebet Iovis et Iunonis *ἱερὸς γάμος*, cui hoc sacrificium adsignemus. Quem mense Gamelione celebratum esse e Photio discimus (cf. Et. M. 468, 52): *ἱερὸν γάμον· Ἀθηναῖοι ἑορτὴν Διὸς ἄγουσι καὶ Ἥρας ἱερὸν γάμον καλοῦντες*, quocum conferenda Hesychii glossa: *Γαμηλιών· ὁ τῶν μηνῶν τῆς Ἥρας ἱερός.* Novissimae mensis decadi eum rectissime adscripsit Mommsenus (heortol. 343) verbis nisus Procli ad Hesiodi opp. 784: *διὸ καὶ Ἀθηναῖοι τὰς πρὸς σύνοδον ἡμέρας ἐξελέγοντο πρὸς γάμους καὶ τὰ θεογάμια ἐτέλουν τότε, φυσικῶς εἶναι πρῶτον οἰόμενοι γάμον τῆς σελήνης ἰούσης* (*οὔσης* cod.) *πρὸς ἡλίου σύνοδον.* Accuratiori denique temporis definitioni fundamentum substruxit Usenerus (mus. Rhen. XXXIV 428) conlatis Menandri versibus (apud Athen. 243 A):

ἐμὲ γὰρ διέτριψεν ὁ
κομψότατος ἀνδρῶν Χαιρεφῶν ἱερὸν γάμον
φάσκων ποήσειν δευτέρᾳ μετ' εἰκάδας
καθ' αὑτόν, ἵνα τῇ τετράδι δειπνῇ παρ' ἑτέροις·
τὸ τῆς θεοῦ γὰρ πανταχῶς ἔχειν καλῶς.

Quem locum satis obscurum sic intellegendum puto[1]): gloriatur Chaerepho calliditate sua dicens matrimonium Iovis ac Iunonis, quod Gamelionis diei ultimo adtribuisse usum sacrum sumendum est, domi sese die nefasto[2]) antecedente celebraturum esse, ne hospites accedant; at Anthesterionis sollemni Veneris apud alios esse cenaturum. Eodem igitur fere tempore etiam Iovis Iunonii sacrificium factum est. Ac fortasse Iunonis quoque nomen e litteris *ἡρ* vel *ἡ* (v. 19 et 23) restituere licet.[3]) Unum addendum est. Plane singularem esse *Δία Ἡραῖον* ipse fateor.[4]) Non est quod miremur *Ἀθηνᾶν Ἡφαιστίαν*, *Ἀμφιτρίτην Ποσειδωνίαν* (schol. Hom. *γ* 91) aut *Ἀπόλλωνα Λατῷον*, *Διόνυσον Θυωνέα.* At deum ab uxore denominari aliud est. Cui cognominandi generi e cultus ritibus sine dubio explicando aliquid fortasse lucis adspergitur conlato more illo sacro, quo in Iovis apud Samios[5]) et apud Coos in Herculis[6]) *ἱερῷ γάμῳ* ut alterius quisque celebrantium sexus habitum imitetur praescribitur.

v. 22: De *ἀρὴν* forma Attica vide Bekk. anecd. Graec. I 7, 11. Agnum

---

1) cf. quae de loco disputaverunt Meineke, Menandri et Philem. rel. 109 sq. Unger, Philol. XXXIX 481 sqq. Schmidt chronol. Graec. 523 sqq.

2) Et. M. 131, 13 sqq.: *Ἀποφράδες· ἀποφράδας ἔλεγον οἱ Ἀττικοὶ τὰς ἀπηγορευμένας ἡμέρας, ἃς ὑπελάμβανον χείρους εἶναι τῶν ἄλλων· ἃς δὴ καὶ ἐπεικάδας καλοῦσι φθίνοντος τοῦ μηνός, τετράδα τρίτην δευτέραν κτλ.* cf. Lysiam apud Athen. 551 F.

3) v. 19 *Ἡρ[ακλεῖ τράπεζα?]* Kirchhoffius.

4) Non habeo exemplum simile nisi Hesychii glossam *Ἥραιον· Ἡρακλέα.*

5) Siquidem recte iudico de Athenaei loco 525 EF.

6) Ross IGI 311; cf. Plut. qu. Gr. 58. Similis fortasse ratio subest iis, quae de Venere quadam Attica tradit Philochorus apud Macrob. Saturn. III 8, 3.

hunc esse tenellum docet Istrus apud Eust. ad Odyss. p. 1627, 9 sqq. — B. v. 6 et 11 suppleverim *[τέλ]εον.* cf. A 3. — v. 9: *[Ἀνάκ]οιν?* *[θε]οῖν?* Kirchhoffius. Tertium datur *[ἑρ]οιν.*

2. CIA IV 3 p. 5. Edidit Hicks, *Ancient Greek inscript. in the British Museum* I 73: „A block of white marble: height, 8½ in.; breadth, 12¼ in.; thickness, 4 in. From the Elgin Collection.“ Latus A ediderunt Boeckh CIG I 72 ex schedis Rosianis; Kirchhoff CIA I 3; Lebas Attique 397. Titulus ubi inventus sit non constat. Fractus est a parte superiore et inferiore. Litterae *στοιχηδὸν* dispositae sunt.

A. . . ε . . (ο) . . ι . . . .
(ʽ)εμικοτύλ[ια] οἴ[νο? . . . .
. ι . . ει(ε)ι . ε . . δ . (ν) . κ . .
. . διδόνα[ι . . . .
. Θαρ]γελι[ο̑ν]ο[ς] ʽ[έκτει ʽ
ισταμέ[ν]ο . . ι . . . .
εσι τέλεο[ν κα]ὶ γ . . οες ἑ
μισυ ἒ το̑ι ʽέ[ρ]οι καὶ [φρύ-
γανα. Πλυντερίοισι Ἀθε-
να]ίαι οἶν. [Σ]κιροφοριο̑ν-
[ος . . . .]

B. — . (ε) ρε . . —
— . αντυ . —
— . . . . —
— . . . . —
— . . . . —
— . υ . . νγ —
— . αι ἐὰν —
— νδρασι —

C. . :ʽέρ[οι-
ν]: πυρο̑[ν
δύο χοί-
νικε: τρ-
ε̑ς ὀβε[λ-
οί: ʽέρο-
ιν ἐμ πε-
δίοι: τέ-
λεον ʽΕ-
κ](άτει).

D. . κ]αὶ μέ-
λ]ιτος τ-
ρ]ιʽεμι-
κο]τύλ[ι-
ον] . υ . .
. . . στο
. ʽ]ιερε-
. .]: τριτ-
. (ι)ατρε
. . (ατ)ει

Valde hunc titulum antecedenti fere aequalem ab eo discrepare vel obiter inspicienti manifestum videbitur. Nam quamquam permulta incerta sunt, hoc tamen certissimum est lateris A v. 5—10 nisi unius mensis Thargelionis sacra non recenseri. Sed de ratione tituli postea videndum erit. Interim examinanda sunt singula.

A 2 Hicksius supplevit *ʽεμικοτύλ[εν] οἴ[νο]*, de quo dubito et propter formam *ʽεμικοτύλε*[1]) et quia solet in his inscriptionibus mensura postponi. — v. 3 Rosius legit ΙΗΙΕΡΕΙ, quod non spernendum videtur. Optime enim coeunt *το̃]ι ʽιε(ρ)εῖ — — — — διδόνα[ι].* — v. 5 sqq.: Prius Thargelionis sacrificium non videtur ad Thargelia spectare. Dissuadent enim quae secuntur *ἕμισυ ἒ τõι ʽέροι*, quibus singulare quoddam sacrum

---

1) cf. Boeckh *kl. Schr.* IV 410 adn. 1.

designari opinor. Ac ne *-εσι* (v. 7) quidem terminationem esse nominis dei cuiusdam sed loci potius putaverim.

Ex ultimis denique verbis unum addiscimus idque gravissimum. Quae de tempore Callynteriorum Plynteriorumque traduntur, ita videntur intricata esse, ut expediri vix possint. Habemus testimonium Photii: *Καλλυντήρια καὶ Πλυντήρια ἑορτῶν ὀνόματα· γίνονται μὲν αὗται Θαργηλιῶνος μηνός, ἐνάτῃ μὲν ἐπὶ δέκα Καλλυντήρια, δευτέρᾳ δὲ φθίνοντος τὰ Πλυντήρια κτλ.* Quorum dierum ille quidem Athenis teste Philochoro (apud schol. Hes. opp. 812) et fortasse Olympiae quoque (cf. Paus. V 13, 11) purgationibus lustrationibusque idoneus, optime convenit festo illi, quod ab everrendo nomen duxit. Cui respondent decadis tertiae die item paenultimo celebrata Plynteria. Sed obstat huic testimonio primum locus Plutarchi (Alc. 34 cf. Xenoph. Hell. I 4, 12) qui Alcibiadem Plynteriis Athenas reversum esse narrans haec addit: *δρῶσι δὲ τὰ ὄργια Πραξιεργίδαι Θαργηλιῶνος ἕκτῃ φθίνοντος ἀπόρρητα τόν τε κόσμον καθελόντες καὶ τὸ ἕδος κατακαλύψαντες, ὅθεν ἐν ταῖς μάλιστα τῶν ἀποφράδων τὴν ἡμέραν ταύτην ἄπρακτον Ἀθηναῖοι νομίζουσι*, deinde Procli, qui de Bendideis in commentario Timaei Platonici haec tradit p. 9 B: *ὅτι γὰρ τὰ ἐν Πειραιεῖ Βενδίδεια τῇ ἐνάτῃ ἐπὶ δέκα* (codd. *δεκάτῃ*) *Θαργηλιῶνος, ὁμολογοῦσιν οἱ περὶ τῶν ἑορτῶν γράψαντες*, et p. 27 A: *ὅτι γε μὴν τὰ Παναθήναια τοῖς Βενδιδείοις εἵπετο, λέγουσιν οἱ ὑπομνηματισταί, καὶ Ἀριστοτέλης ὁ Ῥόδιος μαρτυρεῖ τὰ μὲν ἐν Πειραιεῖ Βενδίδεια τῇ εἰκάδι τοῦ Θαργηλιῶνος ἐπιτελεῖσθαι, ἕπεσθαι δὲ τὰς περὶ τὴν Ἀθηνᾶν ἑορτάς*, unde conlato loco Platonico (rep. I 327 sq.) per biduum Bendidea celebrata esse recte conclusit Mommsenus (heortol. 425). Praeterea anno 338/37 Thargelionis *δευτέρᾳ φθίνοντος* contionem fuisse scimus (cf. Aesch. III 27), quae nullo modo in ferias illas *ἀποφράδας* potest incidisse.

In tanta vero testimoniorum discrepantia lucem dat, nisi fallor, hic quem tractamus de Plynteriis locus. Nam cum id huiusmodi inscriptionum proprium sit, ut praescripto die enumerentur officia sacra, hoc loco quod pro die festum commemoratur ipsum, nego posse explicari nisi ita, ut variasse statuamus festi tempus. Qua re perspecta etiam ceterorum testimoniorum ratio magis clarescit. Antiquiora tempora spectare videtur Photius, quem nostro titulo et scholio Hesiodeo[1]) conlato ita licebit interpretari, ut finem versus decadis secundae ac tertiae Minervae ferias fuisse ponamus. Postea cum diebus undevicensimo et vicensimo instituerentur Bendidea, ne sacra illa cognatissima dirimerentur, in decadem tertiam delata sunt ac stabilita, si Plutarcho fides, tempora.

In latere C quae servata sunt ad mortuorum cultum spectant. Nam cum heroibus coniunctam invenimus inferorum deam Hecaten. Quorum priores triticum et panes tres a forma veru simili denominatos[2]), posteriores ovem accipiunt. Atque hi quidem loco addito satis distinguuntur. Erant fortasse e magno illo *ἡρώων ἀγνώστων* numero per pagos Atticos dispersorum, quales noscimus e Laertio Diogene (I 10, 3) et Pausania (I 1, 4), quibuscum conferendus est Pollux (VIII 118 sq.). Illi cum nullo ornati sint attributo, aut antea commemorati iam erant (sed ne tum quidem attributum omitti potuisse credo), aut quinam intellegendi sint, ex universa tituli ratione elucere necesse est.

Inde igitur quid efficitur? Publicos hunc titulum continere fastos non facile quisquam sibi persuadebit. Nec enim sufficit sacrificiorum multitudo et A 10 utique postulandum esset: *Ἀθεναίαι Πολιάδι οἶν.* E quo ipso loco sodalitatis alicuius, sive tribus sive phratriae sive gentis, quae in propria Minervae ara Plynteriis deae sacrificaverit, haec sacra esse concludo. Nam tum etiam heroes illi cur accuratiore definitione careant, perspicitur: artissime enim eos cum sodalitate conexos vel fortasse ipsius fuisse *ἀρχηγέτας* sumendum est.

1) *Τὴν ἐννεακαιδεκάτην ὡς καὶ τὴν ὀκτωκαιδεκάτην τὰ πάτρια τῶν Ἀθηναίων καθαρμοῖς ἀποδίδωσι καὶ ἀποτροπαῖς κτλ.*

2) *ὀβελὸς* aliunde non cognitus; sed notissimus *ὀβελίας*. Cf. etiam Suid. s. v. *πέλανοι· πέμματα κτλ. . . . καὶ ὁ τῷ μάντει διδόμενος μισθὸς ὀβολός.* Non recte Hicksius pretium intellegit. Nec quo iure Meisterhansius gramm. inscr. Att. 18, 103 *ὀβελὸν* esse nomen mensurae adfirmet scio.

3. CIA III 77. Edidit Boeckh CIG I 523: „Athenis olim 'in conventu Monachorum prope Poecilen dictum locum', lapis Dawkinsianus Oxonium translatus. Edidit olim, sed vitiosissimas Chishulli schedas Maffeianas secutus Corsinus Inscr. Att. p. I—IX (Prolegg. F. A. T. IV.), minusculis; rectius Chandlerus Marm. Oxon. II 21." Lebas Attique 403.

Μεταγιτνιῶνος θεαῖς β. . .
του τῆς παντελείας πόπανον [δωδεκόν-
φαλον χοινικιαῖον ιε΄ νηφάλιον.
Βοηδρομιῶνος γι΄ Νέφθυϊ καὶ Ὀσίριδ[ι
ἀλεκτρυόνα καρπώσεις σπείρων πυρ[οὺς
καὶ κριθάς, σπένδων μελίκρατον. ζι΄ Δήμη-
τρι Κόρῃ δέλφακα ἀνυπερθέτως. ηι΄ τρυγ[η-
τὸν Διονύσῳ καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς ἀν[υπ]ερ[θέτως.
Πυανεψιῶνος Ἀπόλλωνι καὶ Ἀρτέμιδι ζ΄ π[ό-
πανον χ[οιν]ικιαῖον ὀρθόνφαλον καὶ καθήμεν[ον
δωδεκόνφαλον.
Μαιμακτηριῶνος Διὶ Γεωργῷ κ΄ πόπανον
χοινικιαῖον ὀρθόνφαλον δωδεκόνφαλον,
ναστὸν χοινικιαῖον ἐπιπεπλασμένον,
πανκαρπίαν νηφάλιον.
Ποσιδεῶνος η΄ ἱσταμένου πόπανον
χοινικιαῖον δωδεκόνφαλον καθήμε[νον
Ποσιδῶνι Χαμαιζήλῳ νηφάλιον. θι΄
ἀνέμοις πόπανον χοινικιαῖον ὀρθόν-
φαλον δωδεκόνφαλον νηφάλιον.

2 in fine septem litterarum spatium est.

Γαμηλιῶνος κιττώϲειϲ Διονύϲουϲ θι΄.
Ἀνθεϲτηριῶνος ἱερεῖϲ ἐκ λουτρῶν . . . . .
Ἐ]λ[α]φηβολιῶνος ει΄ Κρόνῳ πόπανον
δωδεκόμφαλον καθήμενον, ἐπι-
θύ]ϲειϲ βοῦν χοινικιαῖον ἀνυπε[ρθέ-
τωϲ. Μουνυχιῶνος β΄ ἀπιόντοϲ Ἡρα-
κλεῖ καὶ Θείῳ ἀλέκτοραϲ β΄, πόπανον
χοίνικοϲ δωδεκόμφαλ(ον) ὀρθόνφαλο[ν
ἀνυπερθέτωϲ.

23 primum Λ e Corsino addidit Boeckhius. 28 ΔΩΔΕΚΟΜΦΑΛΑ.

Index est sacrificiorum primo fere post Chr. n. saeculo, id quod orthographia probatur, lapidi incisus. In initio deest Hecatombaeon, in fine Thargelion cum Scirophorione. Ceterorum mensium unoquoque pauca enumerantur sacrificia eaque maximam partem incruenta. Praecipue offeruntur panes diversarum formarum, de quibus cum amplum apparatum attulerit Oscarus Band in libello qui inscribitur „*Das Attische Demeter-Kore-Fest der Epikleidia*“ p. 4 sqq., brevissima adnotare satius duxi, praesertim cum quid quoque ornamento significare veteres voluerint, nunc indagari non iam possit. — *Πόπανον* igitur *ὀρθόνφαλον* est placenta umbone medio erecto instructa, *δωδεκόνφαλον*, cui unus umbo medius, undecim in margine positi sunt, *δωδεκόνφαλον καθήμενον*, cui spatio medio plano duodecim sunt umbilici marginales, denique *ὀρθόνφαλον δωδεκόνφαλον* est *δωδεκόνφαλον*, cuius umbilicus medius est erectus. De ceteris infra disputabo.

Incipit titulus a sacro dearum, quarum nomina, cum post *θεαῖς* una tantum vox *β . . . του* sequatur, non videntur fuisse adposita. Hoc modo in titulo Attico non posse significari nisi deas Eleusinias, Bandio (cf. eius libelli p. 13) concedendum est.[1]) Iam si cui festo Attico hoc sacrificium destinetur circumspicimus, dummodo omnino notum sit, adscisci possunt Epiclidia, Anacalypteria, Prochaereteria, Eucharisteria. E quibus Bandius elegit Epiclidia causis ductus mihi ignotis, quippe quas altera illius libelli parte nondum edita prolaturus sit. Quam sententiam quamquam certis argumentis refutare non possum, dubiam tamen puto, quod et Epiclidiorum et Eucharisteriorum utpote feriarum rusticarum, quae in urbe fortasse omnino non erant, variasse tempora veri sit simile. Mihi, ut praeteream Anacalypteria, de quibus ne conici quidem quidquam potest, ad Prochaereteria spectare videtur hoc sacrificium.

Gravissimum enim est, quod dearum inferarum sacrum *νηφάλιον* positum est in die plenilunii. Cui rei singularem subesse causam necesse est. Quid si ideo factum est, quod cum nuptiis Proserpinae hoc sacrificium cohaeret? Nuptiis enim vel maxime convenit tempus plenilunii.[2]) Erat vero festum Atticum Plutonis et Proserpinae matri vale dicentis

1) Pluralis pro duali invenitur e. g. CIA II 315, 376, 628; III 886.
2) cf. Eur. Iph. Aul. 717; Pind. Isth. VII 44; Bluemner, *Privatalt.* 270, 1.

nuptiarum repetens memoriam, cui nomen erat *Προχαιρητήρια.* Nam quamquam plerique viri docti eadem haec esse ac Procharisteria censuerunt, tamen in lexicographorum (Harpocrationis, Photii, Suidae s. v. *Προσχαιρητήρια*[1]) explicatione nihil mutandum est, quod festi nomen verbo *ἀπιέναι* defenditur: *ἑορτὴ παρ' Ἀθηναίοις ἀγομένη, ὅτε δοκεῖ ἀπιέναι ἡ Κόρη.* Iam si quaerimus, quo anni tempore Proserpinae *κάθοδος* concelebrata sit, hymnum Homericum in Cererem (446 sq.) duas anni partes eam in terra, tertiam apud inferos versantem fingere fatendum est.[2]) At discrepat religio ipsa. Duo adsunt testimonia certissima, Diodori (V 4): *τῆς μὲν γὰρ Κόρης τὴν καταγωγὴν ἐποιήσαντο περὶ τὸν καιρὸν ἐν ᾧ τὸν τοῦ σίτου καρπὸν τετελεσιουργῆσθαι συνέβαινε,* et scholiastae Arat. Phaen. 150:

αἵ δέ που ἀσταχύων κενεαὶ φαίνονται ἄρουραι
ἠελίου τὰ πρῶτα συνερχομένοιο Λέοντι.

ἅπτεται δὲ καὶ θεολογίας ἐνταῦθα ὁ Ἄρατος τὴν τῆς Κόρης ἁρπαγὴν δηλῶν καὶ τὸν ἐν Ἅιδου γάμον ἐν τῷ λέγειν κενεαὶ ἄρουραι· αὐτὴν γὰρ εἶναι τοὺς καρποὺς καὶ μητέρα τὴν γῆν. καὶ γὰρ παρ' Αἰγυπτίοις κατὰ τὸν Ἐπιφὶ μῆνα, ὅτε ἐν Λέοντι γίνεται ὁ ἥλιος, ἡ τῆς Κόρης ἁρπαγὴ τελειοῦται. Tempore igitur aestivo[3]) postquam rapta est Proserpina, deinceps Eleusiniis, Thesmophoriis, ceteris feriis mater celebratur luctuosa.[4])

Accuratius si tempus definituri sumus nuptiarum Proserpinae, scholiastae sane illius testimonio Hecatombaeon mensis prodi videtur. Verum nescio an hac in re subtiliore auctoritas eius non tanta sit, ut utique eum sequi debeamus. Nec enim Atticumne spectet cultum omnino constat nec Aegyptiorum mense *Ἐπιφὶ* leonem a sole percurri recte adfirmat. Pro quo tempore si Metagitnionem Atticum substituimus, naturalis quaedam prodit anni divisio: nam medio fere Anthesterione[5]) postquam surrexit ex inferis Proserpina, post unius semestris decursum ad maritum revertitur. — Initii verba emendare mihi non contigit. Ceterum quin quodammodo ad mysteria Eleusinia referenda sint, non dubito, quippe quae *τριετηρικὴν παντέλειαν* appellet Plutarchus (symp. IV 6, 1).

Sequitur Boedromion. In quo primum locum obtinet sacrum Nephtyi et Osiridi die decimo tertio faciendum. Verba ipsa et Boeckhius (in commentario) et C. O. Muellerus (in Erschii et Gruberi encycl. I 33, 291) parum recte interpretati sunt. Mihi, ne longus sim in re satis ut opinor aperta, certissimum videtur atque cardo interpretationis vocabulum *καρπώσεις*, quod illi substantivum esse rati miro modo quae secuntur participia enuntiato inculcare studuerunt, verbum esse, cui applicanda sunt

1) Harpocrationis codex unus *Προχαιρητήρια*, quam formam restituendam puto cum Mommseno (heortol. 44 adn.).
2) Aliter hunc locum interpretatur Prellerus *Demeter u. Persephone* 116 sqq. Ad similem anni divisionem spectat Porphyrius apud Euseb. praep. ev. III 11, 109 C.
3) cf. Preller *Demeter u. Persephone* 121 sqq.
4) cf. Plut. Is. et Os. 69. schol. Lucian. in mus. Rhen. XXV 549. Clem. Alex. protr. II 17.
5) cf. hymn. Hom. in Cer. 401 sqq. Eodem tempore manes ex inferis emergere putabantur.

participia *σπείρων* et *σπένδων*. Significat autem idem fere quod *ὁλοκαυτεῖν* ac proprium est piaculorum inferiarumque.[1]) Ratio huius sacrificii satis aperta est. Osiris atque uxor infernalis (nam Nephtys eodem modo cum Osiride inferorum rege iuncta est quo Isis cum Osiride caelesti) sacrificio placantur Graeco ritu oblato. Quod quin tamquam *πρόθυμα* mysteriorum sit Eleusiniorum, eo minus potest dubitari, quod di Aegyptii cum Eleusiniorum dis Graecis inde ab Herodoti aetate confunduntur.

Proxima enim ad Eleusinia spectare dudum exploratum est. Incepisse ea a die Boedromionis decimo quinto vel sexto (*ἅλαδε μύσται*) et Eleusinem translata esse die vicensimo (*Ἴακχος*) certum est. E Philostrati autem loco (v. Apoll. IV 18): *ἦν μὲν δὴ Ἐπιδαυρίων ἡμέρα, τὰ δὲ Ἐπιδαύρια μετὰ πρόσρησίν τε καὶ ἱερεῖα δεῦρο μυεῖν Ἀθηναίοις πάτριον ἐπὶ θυσίᾳ δευτέρᾳ* fuisse inter initium feriarum et *Ἴακχον* dies quosdam *ἱερεῖα* appellatos atque Epidauria, quae die undevicensimo fuisse videantur, apparet. Itaque *ἱερεῖα* fuisse dies decimum septimum et duodevicensimum veri est simillimum atque hi ipsi in hoc titulo sacrificiis insignes sunt. E quo priorem imprimis Cereri et Proserpinae, posteriorem Baccho et ceteris dis (sc. *οἷς πάτριόν ἐστιν θύειν*) sacrum fuisse potest concludi. Illae solitam hostiam, hic ut est *προτρύγαιος* fructuum accipit farraginem.

Pyanopsionis die septimo Apolloni et Dianae placenta offertur in Pyanopsiis. Thargeliis quoque una cum fratre Diana colitur.

Maemacterionis die vicensimo satis ampla munerum copia colitur Iuppiter agricola, qui quamquam cognomina similia velut *ἐπικάρπιος*, *ἔνδενδρος*, *φυτάλμιος* adsunt non pauca, ipse aliunde nondum est cognitus. Praeter *πόπανον* offertur *ναστὸς ἐπιπεπλασμένος*, de quo pane conferendi sunt Athenaeus (111 C, 646 E), schol. Arist. av. 567, Hesych. s. v. *ναστός*. E comicorum versibus colligi potest imprimis melle illitos panes ita esse appellatos.[2]) Denique *παγκαρπία* procul dubio non est placenta sed omnis generis fructuum lanx[3]), qualem accipit Iuppiter *χθόνιος* apud Euripidem (fr. 912):

> *σοὶ τῷ πάντων μεδέοντι χοὴν*
> *πέλανόν τε φέρω, Ζεὺς εἴτ' Ἀίδης*
> *ὀνομαζόμενος στέργεις· σὺ δέ μοι*
> *θυσίαν ἄπυρον παγκαρπείας*
> *δέξαι πλήρη προχυθεῖσαν,*

et Athenaeo teste (473 C) Iuppiter *κτήσιος*. Qui omnes tamquam species sunt summi inferorum dei ab agricolis una cum Cerere in serendo invocati (Hes. opp. 465) illisque cognatissimi Iuppiter *μειλίχιος* et *μαιμάκτης*.

---

1) cf. Hesych. s. v. *καρπωθέντα· τὰ ἐπὶ βωμοῦ καθαγισθέντα*. Suid. s. v. *ἁγίσαι, ἁγιάσαι*. Et. M. 10, 41. Stengel Herm. XXVII 161 sqq. *σπείρειν* est spargere (Herod. VII 107, Eur. Andr. 167).

2) Comparabiles sunt *ὄμπαι* Cereri Furiisque sacrae, quas grammatici tradunt esse *πυροὺς μέλιτι περικεχρισμένους*.

3) cf. Hesych. *παγκαρπία· πανσπερμία*.

Atque et Iovis *μαιμάκτου* et *κτησίου* cultus propriae fuerunt lustrationes illae, in quibus *Διὸς κωδίῳ*[1]) utebantur. Quae cum praecipue Maemacterionis decade tertia fiant, esse aliquam huius de quo agimus sacrificii cum feriis illis Iovis *μαιμάκτου* adfinitatem recte statuit Boeckhius. Sacrum igitur principale die vicensimo videtur factum esse.

Posideone duo fiunt sacrificia inter se quodammodo cohaerentia. Primum Neptunus *χαμαίζηλος*, i. e. humi serpens, aliunde non notus nisi quod fratrem eius habemus apud Orpheum in Argon. 934 H. (*σῆμα χαμαιζήλοιο Διός*), die octavo, qui sacer eius est constitutus, placatur placenta sine vino offerenda, cui sacro publicum respondisse sollemne non est necessarium, deinde die undevicensimo venti. Utrumque sine dubio ad tempestates permulcendas pertinet, quas huius mensis proprias esse ex Anacreontis fr. 6 (cf. Eust. ad Il. XV 192) discimus.

Paulo difficilior oritur quaestio de Gamelione. Primum ut ipsa verba recte constituamus, non recedendum est a litteris a Chandlero traditis *κιττωσεισδιονυσους*. Boeckhius e Corsini apographo pessimo recepit *Διονύσου* scripsitque *κιττώσεις Διονύσου* ut supra *καρπώσεις*. Equidem vel propter *καρπώσεις* illud nunc rectius, opinor, intellectum *κιττώσεις* verbum esse ratus retinui *κιττώσεις Διονύσους*. Cuinam vero sollemni publico haec statuarum Bacchi coronandarum caerimonia respondet? Boeckhio praeeunte plerique viri docti[2]) ad Lenaea eam pertinere contenderunt, quae circa *εἰκάδας* acta esse sibi persuaserunt. Attamen cautius agendum est. E tituli 4 v. 22 sqq. circa diem duodecimum acta esse Lenaea certum fieri mihi videtur. Iam occurrunt in inscriptione Attica CIA II 834 B II 46 *Ἐπιλήναια Διονύσια*. Festum hoc esse post Lenaea actum apparet, cui quin attribuenda sit illa coronandi caerimonia vix dubium est. Fortasse autem aliquid addi potest. Aliud enim innotuit e titulo ephebico Bacchi festum singulare, cui nomen est *κληματίς*. In CIA II 482, 31 legimus: ...*τεθυκέναι δὲ μετὰ τῶν ἐφήβων τῇ τε κληματίδι καὶ* .....*κτλ.*; quod Bacchi esse sollemne perspexit Koehlerus conlato loco Plutarcheo (de cup. div. 8 extr.): *ἡ πάτριος τῶν Διονυσίων ἑορτὴ τὸ παλαιὸν ἐπέμπετο δημοτικῶς καὶ ἱλαρῶς, ἀμφορεὺς οἴνου καὶ κληματίς, εἶτα τράγον τις εἷλκεν, ἄλλος ἰσχάδων ἄῤῥιχον ἠκολούθει κομίζων, ἐπὶ πᾶσι δὲ ὁ φαλλός*. Quod nomen quoniam a ritibus huius festi derivandum est, quid aptius comparari potest quam diei undevicensimi coronae hederaceae?

Lubrica res est de Anthesterione. *λουτρὸν* vocabulum esse cultus sumendum est. Ac mortuorum cultus eum proprium fuisse ritum, ut aqua in terram infusa illi quasi abluerentur, inter omnes constat.[3]) Quam ut significet caerimoniam Sophocles (El. 84 et 434) ipso hoc utitur *λουτρὸν* vocabulo. Recte igitur Boeckhius ad Hydrophoria mense Antheste-

---

1) cf. Suid. s. v. *Διὸς κώδιον*, ubi sine causa Lobeckius (Agl. 183) *κτήσιος* mutavit in *ἱκέσιος*; Preller Polemonis 141.

2) Boeckh *kl. Schr.* V 81 sq. Bergk *Beitr. z. griech. Monatsk.* 37. Leutsch Philol. I 480. KFHermann *gottesd. Altert.* 58, 5. Schmidt chronol. Graec. 287 sq.

3) cf. Athen. 409 F, 496 A. Lucian. de dea Syr. 13.

rione acta haec pertinere contendisse videtur. Ipsa vero verba quomodo intellegenda sint, non liquet.[1])

Elaphebolion Saturni sacrificio insignis est. Solito pani additur placenta in bovis speciem conformata: cruenta enim sacra Saturnus Atticus repudiasse videtur. Boeckhius v. 24 supplevit *ἐπι[πεπλασμένον]*, verum hoc supplementum fines propositos longe egreditur neque editores quidquam deesse adnotant. *Κρόνια* Athenis et aestiva fuisse et autumnalia scimus[2]); de vernis plane nihil traditur. Sed Romae Dionysius Halicarnassensis (I 38, 2 sq.) Herculem, Saturni cultum Latinum ut mitigaret hominesque ne amplius mactarentur prohiberet, triginta simulacra humana in Tiberim demittere iussisse tradit: *τοῦτο δὲ καὶ μέχρις ἐμοῦ ἔτι διετέλουν Ῥωμαῖοι δρῶντες μικρὸν ὕστερον ἐαρινῆς ἰσημερίας ἐν μηνὶ Μαΐῳ ταῖς καλουμέναις εἰδοῖς, διχομηνίδα βουλόμενοι ταύτην εἶναι τὴν ἡμέραν κτλ.* Haec falsa esse apparet. Vernum enim aequinoctium mensis est Martii. Mensis vero nomen in hac temporis definitione sive corruptum sive falso a scriptore traditum esse, non tempus naturale inde efficitur, quod Elei, a quibus Romanos Saturni cultum accepisse idem tradit Dionysius (I 34), aequinoctio verno sacra ei faciebant teste Pausania (VI 20, 1). Iam cum in nostro titulo sacrum eodem tempore Saturno peragendum inveniamus, ea est Attici cultus cum Romano similitudo, ut huius exemplum illum imitari veri sit simillimum.

Denique Munychione extremo heroum instar coluntur Hercules et *Θεῖος*. Hic quis sit certo definiri vix potest. Boeckhius Eurystheum intellexit Herculis avunculum (*θεῖον*). Sed hoc cum per se incredibile sit, tum a titulorum sacrorum sermone abhorret; nec est reapse ille Herculis avunculus. Mihi *Θεῖος* aut heros ignotus esse aut nomen proprium videtur.[3])

Perquisitis singulis restat de origine tituli quaestio gravissima. Publica sacra eo non recenseri, viri docti consentiunt. Quorum plerique quod sacra haec esse rustica pagi cuiusdam Attici contendunt, adsentiri non possum. Nam primum Athenis lapis inventus esse fertur, deinde sacrificia et pauciora minoraque quam decebant pagum Atticum quamvis exiguum, nec rustici potissimum cultus ullo modo propria sunt (veluti desunt Dionysia rustica), denique plerique dei cognominibus sollemnibus carent. Unus quantum scio Prellerus ad sacra privata hunc indicem spectare dubitanter sane coniecit.[4]) Idque verissimum est. Probatur enim vel ipso tituli sermone (*καρπώσεις, κιττώσεις, ἐπιθύσεις*). Sed etiam cetera huic sententiae favent omnia. Veluti exceptis Eleusiniis Atheniensium feriis longe sanctissimis ceterae feriae maiores consulto videntur praetermissae esse. Praeterea cum praeter placentas, pauperum munera[5]), galli tantum,

1) Potest aliquis EK litteras diem indicare et *ἱερεῖς* mutandum esse in *ἱερ[ι]εῖς* conicere. Sed haec nimis incerta sunt.

2) Et. M. 321, 4 sqq. Philochorus apud Macrob. Sat. I 10, 22.

3) Nescio an adscisci possint inscriptiones quaedam in Asia minore inventae, quibus dedicatur *Διὶ ὑψίστῳ καὶ θείῳ* vel *καὶ θείῳ ἀγγέλῳ* (BCH V 182. n. 4, XV 418. n. 1; V 182. n. 3. Lebas-Waddington III 515).

4) Pauly *Realencycl.* III 97.

5) cf. Thuc. I 126 cum schol.; Alciphr. epist. III 35; Lucian. de sacrif. 12.

propriae privatorum hostiae, et porculus offerantur, sacra incruenta ita praeferuntur, ut philosophorum illorum religionis nobis iniciatur memoria, qui sacra cruenta condemnabant; veluti de Pythagora Porphyrius (v. Pythag. 36) tradit haec[1]): *θύων τε θεοῖς ἀνεπαχθὴς ἦν, ἀλφίτοις τε καὶ ποπάνῳ καὶ λιβανωτῷ καὶ μυρρίνῃ τοὺς θεοὺς ἐξιλασκόμενος, ἐμψύχοις δ' ἥκιστα, πλὴν εἰ μή ποτε ἀλεκτορίσιν καὶ τῶν χοίρων τοῖς ἁπαλωτάτοις. ἐβουθύτησεν δέ ποτε σταίτινον, ὥς φασὶν ⟨βοῦν⟩ οἱ ἀκριβέστεροι, κτλ.* Itaque quamquam certi quidquam de tituli origine ac ratione statui nequit, tamen a sodalitate quadam, quae sua cuique sodali officia sacra proponenda curaret, eum collocatum esse haud est improbabile.[2])

II. Myconi.

4. Tabula marmoris albi valde detrita a. 1,71 m, l. 0,48 m, cr. 0,13 m, inventa Myconi; nunc exstat Athenis in museo centrali. In altera parte titulus SIG 433, qui prior videtur exaratus esse. Litteras primae esse aetatis Romanae iudicat Kumanudes. Edidit Lebas *Voyage archéol.* II 2058; accuratius Kumanudes *Ἀθηναίου* II 237 sq. litteris minusculis. Inde Dittenberger SIG 373. Denuo exscripsit accuratissime litterisque maiusculis repraesentavit Latyschewius BCH XII 459 sq. Novam locorum quorundam conlationem debeo Alfredo Koerte. In discrepantiis minoribus unius Latyschewii textum expressi.

Θεοὶ τύχηι ἀγαθῆι.

Ἐπ' ἀρχόντων Κρατίνου Πολυζήλου Φιλόφρονος, ὅτε συνωικίσθησαν αἱ πόλεις, τάδε ἔδοξεν Μυκονίοις ἱερ[ὰ] θύειν πρὸς τοῖς πρότερον καὶ ἐπηνορθώθη περὶ τῶν προτέρων. — Ποσιδεῶνος δυωδεκάτει Ποσειδῶνι Τεμενίτηι κριὸς καλλιστεύων λευκὸς ἐνόρχης· ὁ κριὸς εἰς πόλιν [ο]ὐκ εἰσάγεται· νῶτον καὶ πλάτη κόπτεται· ἡ πλάτη σπένδεται· τῶι ἱερεῖ γλῶσσα καὶ βραχίων. τῆι αὐτῆι ἡμέραι Ποσειδῶνι Φυκίωι ἀμνὸς λευκὸς ἐνόρχης· γυναικὶ οὐ θέμις. καὶ ἀπὸ τοῦ τέλους τῶν ἰχθ[ύ]ων βουλὴ πριαμένη ἱερεῖα εἴκοσι δραχμῶν διδότω. τῆι αὐτῆι ἡμέραι Δήμητρι Χλόηι ὕες δύο καλλιστεύουσαι· (ἡ) ἑτέρη ἐγκύμ[ων]· νῶτον κόπτετα[ι] τῆς ἐγκύμονος. τὰς ὗς βο[υλ]ὴ κ[ρινέ]τω· μ...ωι ἄρχοντες διδόντων ὀσφὺν καὶ κωλῆν τῆς ὑὸς τῆς ἑτέρης, ἀλφίτω[ν] δύο χοίνικας, οἴνου τρεῖς κοτύλ[α]ς. — Ληναιῶνος δεκάτηι

2 ἱερ[ὰ] omisit Kum. 4 ἐπηνωρθώθη Kum. 12 ἡ ἑτέρα ἐγκύμ[ω]ν Kum. 13 βουλὴ κ... ΤΩΜΗΣΙΟΙ? Kum. — ΒΟ..ΗΚ ////////// Τ·ΜΝ·ΙΩΙ litteras finales certas esse addens Latyschewius; idem variam lectionem adnotat hanc: ΒΟ··ΗΚ ////////// ////////// ΤΩΜ··ΩΙ. — ΒΟ //// //// ΗΚι/// //// //// //// ΤΩ·····Ι Koerte.

1) Paululum discrepant Laert. Diog. VIII 20 et Iamblich. de vita Pyth. XXVIII 150.

2) Accuratius si hac de re iudicare liceret, *ἀνυπερθέτως* illud, quod ter occurrit, quid potissimum significaret, perspici fortasse posset.

ἐπὶ ὠιδῆι ὑπὲρ καρποῦ Δήμητρι ὗν ἐνκύμονα πρωτοτόκον,
Κόρηι κάπρον τέλεον, Διὶ Βουλεῖ χοῖρον. ταῦτα διδόντων ἱε-
ροποιοὶ ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ ἀργυρίου καὶ ξύλα διδόντων καὶ ὀλάc·
ἐπιμελέcθων δὲ τῶν ἱερῶν ὅπωc καλὰ ἦι ἄρχοντεc καὶ ἱε-
ρεῖc· ἐὰν δέ τι δέηι καλλιερεῖν, ἱεροποιοὶ διδόν[τ]ων· εἰc δὲ
τὴν ἑορτὴν [πελ](αζ)έτω Μυκονιάδων ἡ βουλο[μ]έ[νη κ]αὶ τῶν οἰ-
κουcῶν ἐμ Μυκό[ν]ωι ὅcαι ἐπὶ Δήμητρα τετέλ[ε]νται. — ἑν-
δε[κ](ά)τηι ἐπὶ Τοταπλῆθοc Cεμέληι ἐτήcιον· τοῦτο ἐνα-
τεύεται. — δυωδεκάτει Διονύcωι Ληνεῖ ἐτήcιον. — ὑπ(ὲ)[ρ
κα(ρ)πῶν Διὶ Χθονίωι, Γῆι Χθονίηι δερτὰ μέλανα ἐτήcι(α)·
ξένωι οὐ θέμιc· δαινύcθων αὐτοῦ. — Βακχιῶνοc δε(κ)[ά-
τηι ἐν Δειράδ[ι] Διονύcωι Βακχεῖ χίμαροc καλλιcτεύ(ω)[ν.
τὴν τιμὴν ἱεροποιοὶ διδόντων καὶ cυνεcτιάcθων, δ(α)[ι-
νύcθων δὲ αὐτοῦ. — Ἑκατομβαιῶνοc ἑβδόμηι ἱcταμέ-
νου Ἀπόλλωνι Ἑκατομβίωι ταῦροc καὶ δέκα ἄρνεc· νῶτον
τοῦ ταύρου κόπτεται· τῶι ἱερεῖ τοῦ ταύρου δίδοται γλῶc-
cα καὶ βραχίων· τῶν ἀρ(ν)ῶν ὧν οἱ παῖδεc θύουcιν, ἱερεῖ γλῶ[c-
cα καὶ τῶι παιδὶ γλῶccα ἑκατέρωι· ὧν οἱ νυμφίοι θύ[ου]cιν
τῶν ἀρ(ν)ῶν, τῶι ἱερεῖ καὶ τῶι νυμφίωι γλῶccα ἑκατέρωι. [τῆι
αὐτῆι ἡμέραι Ἀχελώιωι τέλειον καὶ δέκα [ἄρ]νεc· τούτω[ν τρ-
ί]α, τέλειον καὶ ἕτερα δύο, πρὸc τῶι β[ω](μ)ῶι ϲ[φάττ]ετ[αι], τ(ὰ) [δὲ
ἄ]λλα ἐc τὸν ποταμόν. ὁ ἐργαζόμεν[οc τὸ χωρ]ίον τὸ ἐν Cα
τοῦ Ἀχελώιου μίcθωμα ἀποδιδ[ό](τ)ω [αὐτοῦ τῶι] Ἀχ(ε)[λώι]ωι νο
καὶ] τοῦτο καταθυέcθ(ω) [ε]ἰc [τὸν θηcαυρόν]. πέμπτηι ἐπ[ὶ δέ-
κα] Ἀρχηγέτηι ἐτήcι(ο)[ν — — — — — — — — — — —
— — — — δαινύc[θων— — — — — — — — — — —
— — — — β]αcιλεῖ I — — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — ιρρο — — — — — — —
44 — — — — — — — — — /Γ — — — — — — — —

16 ΕΠΙΟΓΔΗ Kum. 21 ἑορτὴν θυέτω Kum., quod utique falsum esse testantur Lat. et Koerte. //// ////ΛΞΕΤΩ Lat., unde effecit [πελα]ζέτω. Tolerabile hoc esse dicit Koerte; ipse tamen dubitans sane legit ἑορτὴν Π////ΟΙΞΕΤΩ. 22 τετέλεcται Kum. 23 ἐπι ΤΟΤΑΠΛΗ? θοc Kum. ΕΠΙΤΟΤ · · ΛΗΘΟΣ Lat. ΕΠΙΤΟΤ////ΓΑΗΘΟ‾ Koerte, sed ΓΑ certum non esse. 25 καμπων lapis. 27 τηι ἑνδεκάδι Kum. 32 et 34 αρτων lapis. 33 post θύ[ου]cιν spatium esse vacuum contra Kumanudem statuit Lat. 35/36 supplevit Dittenberger. 36 [βωμ?]ῶι . . . Γ‾. Τ. . Kum. ////////ΙΩΙ//////////ΞΤ//////ΤΑ////Β. . ΩΙΣ//////////////////ΤΑ Koerte; κατακαίεται, quod proposuit Lat., spatio longius esse adfirmat idem. 37 .λα εἰc Kum. Post ΕΝΣΑ unam duasve litteras secutas esse posse dicit Koerte. 38 ἀποδιδότω . . . . . αχΙ . . . ο . . . Kum. ΑΧΜ//////////ΙΝΟ Lat. ἀποδιδότω . . . . ΑΧΙ//// ///// ///// /////ΩΙ Koerte. Ille [δρ]αχ(μ) supplendum censet, hic de Μ illa dubitans Αχ(ε)[λώι]ωι. 39 ante τοῦτο trium litterarum spatium exstat teste Koertio. καταθυέcθω . . ΙΣΙ . . . . Kum. Ο///////Σ Lat. Ω/////ΙΣ Koerte; εἰc spatio paulo brevius esse. 40 ἐτήcιο[ν . . . . / ‾ΚΛ‾ΙΙ Kum. ——————Ο——— ΕΙ ——— Lat. . . . . Τ . . . . . \/////Κ \‾ vel \/////ΙΟ‾ Koerte. v. 43 sqq. unus exscripsit Kum.

53 — — ελε — — — — — — — — — — — — — — —
— — — ν καὶ cκέ[λ — — — — — — — — — — —
οιτ — — — — — — — — — — — — — — — —
ιει — — — — — — — — — — — — — — — — —
ον — — — — — — — — — — — — — — — — —
58 . οι . . . . [Ἀ]πολλωνι . ΛΙ — — — — — — — — — —
62 . . . . μ . . ουοτ — — — — — — — — — — — — —

Superest spatium versuum circiter triginta.

Enumerantur sacra a Myconiis in oppidorum coniunctione sive nova instituta sive vetera commutata. Plurimum igitur interest, quid novum quid non sit diiudicare. Nec deesse illius *θυσιῶν πατρίων ἐπανορθώσεως* videntur in ipso tituli sermone impressa vestigia. Breviloquentia enim cultus vetusti propria additamentis modo imperativo pronuntiatis, quae non ad sacrificia peragenda sed ad sollemnia constituenda atque administranda pertinent, saepe interrumpitur. Veluti v. 9 quod praeter consuetudinem per *καὶ* particulam inculcatur enuntiatum, legis sacrae antiquioris excerpto adnecti videtur. In recensione igitur et correctione legum sacrarum maximam partem tituli versari crediderim; *θυσίαι ἐπίθετοι* additae videntur haud ita multae (e. g. fortasse sacrum Semelae faciendum). Pleraeque enim antiquitatis prae se ferunt vestigia.

Haec memoria tenenda sunt ei, qui mensium ordinem constituturus est. Menses enim omnes ex ordine percenseri minime est necessarium; nam possunt fuisse, quorum nulla omnino sacra recensenda essent. Ac menses cognomines Athenis Myconique excepto fortasse Hecatombaeone eandem habuisse sedem et Lenaeonem Gamelioni respondisse consentaneum est; Bacchionem in Elaphebolionem Atticum incidisse infra demonstrare conabor. De anni autem initio quaestionem certo expediri non posse Clodio (fasti Ionici 28) concedendum est. At quem Bischoffius (de fastis 395) ponit mensem primum Boedromionem, non bene excogitatus est, quod tituli versus fere quinquaginta in uno mense Metagitnione tum ultimo versari statuendum esset. Itaque interim in Kumanudis sententia a primo tituli mense Posideone annum incepisse statuente acquiescendum est.

Posideon Neptuni feriis insignis est. Cui deo Athenis, ubi eius cultus minoris momenti est, octavus potissimum dies sacer habetur. Sed duodecimo Posideonis die ab Ionibus Neptunia concelebrata esse ex Aristidis loco (or. XXIII p. 274 sq. Dind.) cum nostro comparato concludi potest, e quo Smyrnae illo die eius festum fuisse elucet. Myconiorum *Ποσίδεια* commemorantur in titulo apud Rhangaben Ant. hell. 899, 16. — Cognomen *Τεμενίτης* Iovi quoque est Amorgi (BCH XVI 276, 37); comparabilis est Erythraeorum *Ἑστία Τεμενία* (SIG 370, 9). Ad fanum extra urbem situm pompam sacrificalem non esse ducendam[1]) designatur verbis *ὁ κριὸς εἰς πόλιν οὐκ εἰσάγεται. νῶτογ καὶ πλάτη*[2]) partes sunt

1) cf. e. g. Plut. Aristid. 21. Paus. VIII 38, 8.
2) *πλάτη* idem est quod *ὠμοπλάτη*: Hesych. s. v. *πλάτη*. Poll. II 133. *βραχίων*

hostiae in ara comburendae; sequitur enim ἡ πλάτη σπένδεται. κόπτειν igitur verbo exsecandi inesse notionem necesse est; simili significatu legitur in titulo Attico SIG 379, 18: τὰ δὲ λοιπὰ κατακοπτέτωι ἱερῶι. Cf. Apoll. Rhod. I 433 et Plato Euthyd. 301 C: τὰ μικρὰ κρέα κατακόψαντα ἕψειν. Ceterum cum ter tantum partes concremandae designentur nominatim, insolita deorum haec esse munera elucet, id quod titulis sacris perlustratis comprobatur. — Neptunus Φύκιος, cuius cognomen a φῦκος sine dubio derivandum est, hoc uno loco invenitur. Sacro sollemni cum agnus sufficiat, quae praeterea a senatu e vectigali piscatorio dantur oves epulis sacris destinatae sunt. Similis lex fuit Athenis teste Cratete apud Phot. s. v. Κύνειος.

Denique Neptuniis una cum deo agricolis propitio ideoque albis hostiis honorato etiam Cererem Χλόην Myconios venerari, cui et veris et messis et sementis tempore Athenis sacrificatum esse scimus[1]), mirum non est. Artissime enim Ceres cum Neptuno non modo apud Peloponnesios sed etiam apud Iones[2]) iuncta fuit, cuius rei luculentissima exstant monumenta Haloa Attica Posideone agitata. — v. 13 κρινέτω probabiliter coniecit Haussoullier (Revue des études gr. II 195); cf. SIG 348, 14 sq.: δοκιμάζειν δὲ τὰ ἱερεῖα τοὺς προβούλου[ς] καὶ τὸν ταμίαν καὶ τὸγ κήρυκα. Dativo sequente sacrificulum quendam significatum esse certum puto, non id quod Dittenberger coniecit sacerdotem ipsum, cui cur archontes ἱερεώσυνα dare iubeantur, plane non perspicitur.

Quod Lenaeonis primum ponitur sacrum[3]), ex antiquissima Ionum religione repetitum est. Hymno addito pro frugibus renascentibus deorum inferorum trinitati sues[4]) immolantur. Qui ut apud Peloponnesios appellari solent Δαμάτηρ, Κόρα (vel Περσεφόνα), Πλούτων (vel Κλύμενος, Ἅιδης) ita apud Iones sollemnia eorum nomina sunt Δημήτηρ, Κόρη, Ζεὺς Εὐβουλεύς.[5]) Eodem mense ante Epilenaea Athenis ἐπαρχὴ fit Δήμητρι καὶ Κόρηι καὶ Πλούτωνι (CIA II 834 B II 46).[6]) Antiquiorem servavit festi habitum Myconus et insularum proprium. Qui id potissimum habet singulare, ut frugum causa institutum festum, quoniam solis feminis aditus patet, Thesmophoriorum[7]) aliquid simile adsumpserit. Quocum optime convenit, quod Pari ubi clarissima fuerunt Cereris Θεσμοφόρου ὄργια[8]) inde Thasum translata (Paus. X 28, 3) Ἥρη, Δημήτηρ Θεσμοφόρος, Κόρη,

---

femur prius videtur esse oppositus τῇ κωλῇ. cf. Hesych. s. v. ῥίμβησις· ἀγκύλη τοῦ ὤμου. οἱ δὲ βραχίονα τοῦ ἱερείου. schol. Arist. Plut. 1128: κωλαῖ τὰ ἐμπρόσθια μέρη τῶν ἱερείων. ἔστι δὲ ἱερὸς Ἑρμοῦ ὁ βραχίων τῶν ἀλόγων ζῴων.

1) Cornut. περὶ θεῶν 28. Schol. Soph. O. C. 1600.

2) cf. Toepffer geneal. Att. 252 sqq.

3) Falso Lenaeis adscribit Roscher in lex. mythol. I 1071.

4) χοῖρος est porcus novellus; cf. Athen. 375 B.

5) MAI I 334 (Amorgi); Ἀθήναιον V 15 (Pari).

6) cf. Foucart BCH VII 397 sq.

7) Falso O. Kern MAI XVI 8 Myconiorum mysteria (ὅσαι ἐπὶ Δήμητρα τετέλενται) esse Eleusinia dicit. μυστήρια appellantur etiam Thesmophoria.

8) cf. Herod. VI 134 sq. (ὑποζάκορον τῶν χθονίων θεῶν — τὸ ἕρκος Θεσμοφόρου Δήμητρος — τὰ ἐς ἔρσενα γόνον ἄρρητα ἱρά).

Ζεὺς Εὐβουλεύς, Βαβὼ cultus communione inveniuntur coniuncti. — Athenis duo fuerunt ἱεροποιῶν collegia, quorum officia in unum congesta sunt Myconi. Alteri (τοῖς ἐπὶ τὰ ἐκθύματα) mandatae erant καλλιερήσεις: τά τε μ[αν]τευτὰ ἱερὰ θύουσιν κἄν τι καλλιερῆσαι δέῃ καλλιεροῦσι μετὰ τῶν μάντεων (Aristot. Ἀθην. πολ. 54, 6). Myconi si non fausta sunt sacrificia, denuo ἱεροποιοὶ deos adire, i. e. καλλιερεῖν iubentur. Cum v. 19 compares e. g. SIG 348, 14 sqq.: τοὺς προβούλους καὶ τὸν ταμίαν καὶ τὸγ κήρυκα — — — — — τῶν ἱερῶν προϊστασθαι; Paus. II 35, 5. v. 21 πελαζέτω verum videtur; quamquam sollemnis est formula εἰσιέναι (παριέναι, προσιέναι) εἰς τὰ ἱερά. αἱ οἰκοῦσαι ἐμ Μυκόνῳ sunt inquilinae; cf. Demosth. or. 59, 85; SIG 348, 9 sq.: ἑστιᾶν τούς τε πολίτας καὶ . . . . καὶ τοὺς μετοίκους καὶ τοὺς ἀπελευθέρους.

Secuntur Myconiorum Lenaea. Nam cum die undecimo Semela, duodecimo Bacchus Ληνεὺς sacris honorentur, feriis quibusdam Bacchicis haec esse attribuenda efficitur. Quae Lenaea esse comparatis Andriorum Dionysiis nonis Ianuariis teste Plinio (N. H. II 103) actis docuit Usenerus (Acta S. Timothei 24 sq.); idque eo minus addubitari potest, quod eodem sui mensis tempore et Dionysia magna agitata sunt Athenis et apud Iones omnes agitata esse Anthesteria auctor est Thucydides (II 15). Semelae ovis annicula immolatur illo ritu qui per ἐντέμνειν designari solet inferiarum proprio: hoc enim significare videtur ἐνατεύειν ab ἔνατα derivandum sicut προκαυτεύειν (6, 12) a καυτός. — Notatu dignissimum est, quod Lenaeis inferos quoque deos Iovem χθόνιον et Tellurem χθονίαν Myconii venerantur. Eosdem deos (nisi quod Cererem pro Tellure) in semente invocari Hesiodus (opp. 465) iubet. Immolantur oves atri unius anni, quae δερτὰ dicuntur. Hoc vocabulum a δέρειν derivandum[1]) sicut καυτὸς (5, 31) a κάειν hostias pelle spoliatas significat. Nimirum cum in sacris deorum inferorum hostiae semper concremarentur totae[2]), si ut nostro loco praeter consuetudinem dapi illae erant[3]), apte hoc genus hostiarum δερτὰ dici potuit.

Iam vero quid faciendum sit mense Bacchione quaeritur. Mensis ipse quidem hoc uno loco exstat; sed Διόνυσος Βακχεὺς invenitur etiam Naxi (Athen. 78 C) et Erythris (SIG 370) et Ilii (Philol. suppl. II 620). Illud sacrificium facit, ut aliquas Bacchi ferias circa hoc tempus Myconi fuisse credamus. Hae vero Anthesteriisne respondent Atticis an Dionysiis magnis? Anthesteriorum dies principalis apud Iones omnes fuit duodecimus (Thuc. II 15. cf. [Demosth.] c. Neaer. 76). Athenis ceteri dies ita dispositi erant, ut alter praecederet alter insequeretur. Num igitur probabile est quartum addidisse diem Myconios? Praeterea ut Anthesteria ita mensis Anthesterion perinde ac Lenaeon omnium communis Ionum

---

1) cf. Hom. Ψ 169: δρατὰ σώματα νήει. Hesych. s. v. δρατά· δαρτά, ἐκδεδαρμένα θύματα. Et. M. 287, 9 sqq.

2) Unum sufficiat exemplum e Plut. qu. symp. VI 8, 1 petitum: θύουσι Βουβρώστει ταῦρον μέλανα καὶ κατακόψαντες αὐτόδορον ὁλοκαυτοῦσιν. cf. Stengel Herm. XXVII 164 sqq.

3) cf. δαινύσθων αὐτοῦ, id quod apud Coos οὐκ ἀποφορά.

videtur fuisse. Proinde de mensis sede prorsus adsentiendum est Dittenbergero et Dionysiis magnis has ferias respondere statuendum, quae cur Elaphebolioni potissimum a Pisistrato mandata sint, nunc paulo magis clarescit; Bacchi scilicet apud alios Iones hic quoque mensis sacer erat.

Hecatombaeonis die septimo Apollini *Ἑκατομβίῳ* immolata hecatomba *βουπρῴρῳ* quae dicitur (taurus enim cum decem agnis aperte hecatombae instar est[1]) quae de huius dei cultu Attico leguntur in Et. M. 321, 6 sqq. confirmantur: *Ἑκατομβαιὼν δὲ ὠνόμασται διὰ τὰς τοῦ Ἀπόλλωνος θυσίας· θύουσι γὰρ αὐτῷ Ἑκατομβαίῳ κτλ.* cf. Hesych. s. v. *Ἑκατόμβαιος*; Bekk. Anecd. Gr. I 247. Sacerdoti quae adsunt duo camillorum genera *παῖδες* atque *νυμφίοι*, qua voce adulescentuli videntur significari, optime illustrantur vasculis sacrificantes repraesentantibus, quae saepius diversae aetatis camillos exhibent.[2])

Alia eodem die hecatomba offertur Acheloo, quem unum omnium fluviorum a Graecis universis cultum esse testatur Ephorus fr. 27 apud Macrob. Sat. V 18, 6. Notabilis est sacrificii ritus. Fluvios et ut deos superos victimis honoratos et ut inferos placatos esse constat.[3]) Idem hoc loco factum videmus. Tres hostiae ad aram more solito, cetera in fluvium infuso sanguine immolantur. Ita enim accipiendum est: *σ[φάττ]ετ[αι] πρὸς τῶι β[ωμ]ῶι — — — — ἐς τὸν ποταμόν.* Quod Latyschewius proposuit *[κατακαί]ετ[αι]* ne sensui quidem sufficit. Idem enim verbum utrique membro accommodandum est. Praeterea hostias nec in fluvium immergi[4]) nec in ara concremari (*ὁλοκαυτεῖσθαι*) ullo modo credibile est. — Iis quae secuntur qui fundum Acheloo sacrum conductum habet mercedem ipso festo persolvere iuberi apparet. Sed singula certo vix possunt restitui. Sensum quidem adsecutum me esse imprimis propter *καταθυέσθω* existimo. Hoc enim sollemniter de decuma consecrata usurpatur (Xenoph. anab. V 3, 36. Diodor. IV 21). Cum vero absolute poni vix possit, ante *πέμπτηι* mensis nomen scriptum fuisse statuenti Latyschewio non adsentior. Quamquam *εἰς τὸν θησαυρὸν* mera est coniectura. v. 37 *τὸ ἐν Σα* locum indicat. Nonnullae litterae aut secutae sunt aut a quadratario omissae.

Eiusdem igitur mensis plenilunio[5]) *Ἀρχηγέτην* venerantur Myconii. Idque bene congruit cum iis, quae de illo memoriae produntur. Legimus enim apud Stephanum Byz. s. v. *Μύκονος· μία τῶν Κυκλάδων ἀπὸ Μυκόνου τοῦ Ἀνίου τοῦ Καρυστοῦ καὶ Ῥοιοῦς τῆς Ζάρηκος.* Quae genealogia etsi turbata est[6]), hoc tamen inde addiscimus Myconum perinde ac fratres Thasum Andrumque ab Apolline Delio Anii patre oriundos esse, cui sacer erat Hecatombaeon.

1) cf. KFHermann *gottesd. Altert.* 26, 16. Hom. *Δ* 120. De cognomine dei explicando mihi non persuasit Schmidtius chronol. Graec. 266.

2) cf. e. g. *Compte rendu* 1868 tab. 6.

3) cf. Stengel, *Jahrbb. f. Philol.* 1882, 733 sqq.; *Kultusaltert.* 94.

4) cf. Stengelium l. c. Athen. 261 D. Arrian. Anab. VI 19, 5.

5) Medio mense etiam Protesilaum venerantur Chersonesitae teste Philostrato Heroic. III 6.

6) cf. Oertel in Roscheri lex. mythol. I 352.

Sententiae controversae.

1. In Platonis Menone p. 83 A scribo: *οὐκοῦν διπλασία αὕτη ἑαυτῆς γίγνεται κτλ.* codd. *αὕτη ταύτης.*
2. In Platonis Cratylo p. 420 D legatur: *τέλος γὰρ ἤδη ὁρῶ.* codd. *θεω.*
3. Quae de Orestis insania tradunt Horatius (sat. II 3, 133 sqq.), Valerius (VII 147 sqq.), Servius (ad Aen. IV 471 sqq.) e Pacuvii Duloreste hausta sunt.
4. In Apollinis Nympharum Gratiarum sacello Thasio quod paean cani vetatur (IGA 379), e Gratiarum cultu Pario (Apoll. III 15, 7, 4) repetendum est.
5. CIA III 74 v. 18 coniectura attrectandus non est.
6. Errant qui tabulas a Pausania in descriptione Propylaeorum (I 22, 6) memoratas priores sex a Polygnoto pictas esse omnes et cyclum efficere putant.

Vita.

Natus sum Ioannes Theodorus Antonius de Prott Hannoverae d. IV m. Augusti a. h. s. LXIX patre Guilelmo, quem ante hos quinque annos morte mihi ereptum esse lugeo, matre Ioanna e gente Hugues. Fidem profiteor reformatam. Gymnasii Hannoverani quod dicitur Guilelmi Imperatoris per duodecim annos discipulus fui. Maturitatis testimonio instructus vere a. LXXXVIII Marpurgam me contuli, ut studiis operam darem philologis et historicis. Inde vere anni insequentis Bonnam transmigravi ibique usque ad hunc diem permansi. Docuerunt me v. cl. Birt, Cohen, Lenz, Natorp, Varrentrapp, Wellhausen, Wissowa Marpurgenses; Bender, Buecheler, Elter, Franck, Foerster, Gothein, Klein, Lipps, Loeschcke, Nissen, Usener, Wilmanns Bonnenses. Buecheleri, Elteri, Useneri beneficio mihi licuit seminarii regii philologorum per ter senos menses esse sodalem ordinarium, per sex menses seniorem. In seminarium historicum me admisit Nissen. Exercitationibus ut interessem benevole concesserunt epigraphicis et philologis Buecheler, historicis Lamprecht, archaeologicis Loeschcke, philosophis et psychologicis Martius. Quibus viris omnibus gratias ago quam maximas, imprimis vero Buechelero et Usenero, qui opera atque consilio humanissime me adiuverunt.